72. 26

IN SANCTVM

PHILIPPVM NERIVM

FLORENTINVM

Congregationis Oratorij Fundatorem.

IVLII CÆSARIS STELLÆ

Arcis Abbatiæ ad Vulturni Fontes

COMITIS,

GREGORII XV. PONT. MAX.

Ab intimo Cubiculo.

CARMEN.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Ex Typographia Iacobi Maſcardi. MDCXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

PATRIBVS EX CONGREGATIONE ORATORII

AD DIVÆ MARIÆ DE VALLICELLA.

IVLIVS CAESAR STELLA S. D.

VOBIS ſancti PHILIPPI NERII filijs, ac diſcipulis Patres, iure dedico Carmen hoc, quod de eius vita, miraculisq. compendiario contexui. Spero vos ſumma animi alacritate lecturos, quod non minore ego compoſui. Debebam hoc & amori eius dum vixit in domum meam, & de me poſt mortem meritis, vt taceam de virtutibus quas ille non fronte, ac ſupercilio, nec compoſito in oſtentationem geſtu falſas ſimulabat, aut minores augebat, ſed veras modeſtia, ac pudore, necnon humanæ gloriolæ ſuper omnia ſecuritate contegebat. Habeo etiam priuatas peculiaresq. cauſas à vobis cur amem vos ac in publicum edam meæ in veſtrûm ordinem honorificæ voluntatis, atque æſtimationis teſtimonium quod ad poſteros etiam, vt ſpero, pertinebit. Accipite igitur debitum vobis à me multis nominibus hoc munuſculum, nec parui facite, vt meum, ſed exiſtimate magni, vt à ſancto PHILIPPO vobis per me datum, neque is aliquid ex meo donat, ſed ſe ipſum, malè quidem in his carminibus adumbratum, vt vix de facie dignoſci poſſet niſi nomen inſcriberetur; ſed hoc ipſum ex induſtria factum videri poterit, vt is hoc meo tenui, atq; inornato dicendi genere gaudeat, quod ipſe, cum aliter poſſet, ex omni occaſione meditatus ac paratus vſurpabat, exoſus ſcilicet

Fumum, & opes ſtrepitumq. rerum.

ac verborum. Valete Patres Optimi, Modeſtiæ exempla, Charitatis Chriſtianæ imagines, ſpecimina Innocentiæ, & vt omnia vno verbo complectar, ſancti PHILIPPI æmuli atque imitatores. E Domo Idibus Iulij 1622.

IN

IN SANCTVM PHILIPPVM NERIVM FLORENTINVM CONGREGATIONIS ORATORII FVNDATOREM.

COMITIS IVLII CÆSARIS STELLÆ CARMEN.

SI quem ſimplicitas actæ ſine crimine vitæ,
Contemptorem omnis, quē iurè meretur honoris
Inter opes fumumq; vrbis,ſtrepitumq; bilinguis
A puero verſantē Aulæ, ſed ab Vrbis & Aulæ.
Intactum, exiguæ quamuis aſpergine labis;
Si quem amor in ſuperos ardens, hominumq; ſalutem
Vt Cœli ſectentur iter, repetantve relictum
Cęlicolis æquare poteſt dum munere terræ
Veſcitur atq; auræ ſpirabilis, ille PHILIPPVS
NERIVS eſt, quem vix cara ab nutrice reuulſum
Venturi præſaga BONVM cognomine dixit,
Et iam tum tenero plauſit FLORENTIA Ciui:
Is cùm ad biſſenas vix ſexta accederet æſtas
E tectis Patrui cui iam tranſmiſſus Hetruſco
Venerat ante ſolo, ſpes diuitis vna ſenectæ,
Nocturnum molitur iter, tacituſq; relinquit

Sanĉte tuam GERMANE ſub alti monte Caſini,
Romanamq; petit ſuperis ducentibus Vrbem;
Non vt relliquias, & adeſa cadauera molium
Eductarum aſtris, dum Res antiqua manebat,
Nec Capitolinæ ſignis turrita vetuſtis
Ardua tecta Domus, & amica palatia cerni,
Aut noua guſtaret rerum miracula viſu,
Alma quibus ſcatet Vrbs,atq; Vrbe frequentius Aula,
Templa ſed vt Diuum hoſpitio præclara, ſacrisve
Oſſibus,& ſparſo permixtam ſanguine terram
Poplitibus tereret curuis, & lamberet ore,
Perq; Virum præcepta, & honeſta exempla piorũ m
Ad ſuperos inſiſtat iter quod mente vorabat,
  Hic per diuerſos conſtanti pectore caſus
Te leue corporeæ bis luſtra octona vehentem.
NERI molis onus primo ſuſpexit ab ęuo
Aula ſagax, nulla tinctos rubigine mores
Allatrare tuos, quamuis optaret, inaudax;
Cum tamen interea Pueri genitoribus orbi
Matronæq; viris tecumq; improuida tutò
Innuptarum ætas, quaſq; haud decorabat Honeſtas
Arcanos omni nudarent tempore ſenſus,
Non opibus diſtincta nec ordine turba nec annis
Internæ faſſi labes, & vulnera mentis
Vt premerent arctum,qui ducit ad æthæra, callem;
Nam veluti facies latè acris albet vt illum
Deterſit Boreas campoq; equitauit aperto
Nubila agens; Sic tu maculæ puriſſimus omnis
Ore ferebaris Populi contraq; furentem
Intercludere iter magniſq; obſiſtere cœptis

Digitized by Google

Inuidiam; tanquam os Catuli venantis Echinus
Vulnerat, ingratum tangi reuolutus in orbem,
Sic te SANCTE tua tutum virtute tegebas
Nam quo peruigil'Vrbs, interpres dura nouarum
In peius rerum, tua caſta ad facta ſuperbos
Altius applicuere oculos, & dicta per omnes
Excuſſere modos, magis hoc doctrina refulſit
Diſſimulata licet, præceptorumq; tuorum
Simplicitas prudens, vtq; acrius æthere Titan
Tela iacit, nubis gremium ſi findat opacæ;
Sic rudium ex vmbris vocum nullaq; nitentum
Arte, tui radios torquebat acutius ardor
Pectoris, aſtantumq; animis figebat in imis;
Quin inimica tegi Meritorum fama tuorum,
Quam liuor cœcæ tenebris offundere noctis
Spe biberat, latè iucundum ſparſit odorem
Qualem flos Cyrani maculis interlitus Album
Purpureis, ſibi quem Virgo pulcherrima fonte
Ludicrum alit, capitive decus, ſanctisve futurum
Ornamentum aris, bicoloribus ille rubeſcit
Candeſcitq; comis, auraſq; expirat amicas
Naribus, vnde domus nutrix vicinaq; gaudet;
Tunc gens quæ primum ſtudio nouitatis ad ædes
Rarius aduentare tuas, & lenta ſolebat
Protinus aucta, viæ certas accinxit in horas,
Vt viſu te tangat, & hauriat aure loquentem
Non capienda loco, quem tunc maioribus Aulæ
Mutaſti laxæ ſpatijs, fama integra Veri
Vrbe tui tota tantos exciuit amores
Hic dum victrici vocalia fulmina lingua

Moli-

Molitur, varijſq; animos hortatibus vrit
Et nulli parcit curæq; operæq; PHILIPPVS,
O quot ab impura vitiorum compede ſoluit
Omnigenum, & veteri mox libertate redonat;
O quot ab hoſpitio turpis diuulſit amicæ
Quæ Sancto mala fœda ſeni, diraſq; precata eſt.
Interea totis ardebat ad intima fibris
Ille DEVM, anguſti ſed cùm breuis area cordis
Haud caperet, clauſtriſq; efferueret ardor in arctis,
Diſceſſere loco geminæ, ſpatiumq; dedere
Contractæ inter ſe (dictu mirabile) coſtæ,
Vt cordis, quod non diuino ſufficit igni,
Palpitat vnde tremens, ſinus amplior eſſet, Amoremq;
Exundantem extra maiori in ſede teneret;
Sic DEVS ipſe ſuum lheto defendit Amantem
Impleat vt longos, quos impiger applicet, annos
Vrbis ad effuſæ vitia in grauiora ſalutem
Quæ cùm te tenebrarum atq; irremeabilis Orci
Rector, ad Imperij labem generoſe PHILIPPE
Aſpiceret patrare ſui, ne cædat inultus
Magna mouet, nam cùm te tentamenta ſuaſq;
Cerneret exire inſidias, & cuncta feroci
Exſuperare animo, maioribus apparat vti
Viribus, & forma celebrem præſtante puellam,
Illecebras omnes quæ ſaxa alpina mouerent,
Inſigneſq; dolos & quicquid amabile doctam
Vnde illi Regnum in Iuuenes, hanc improbus hoſtis
Exhortator agit, ſtimuliſq; potentibus vrget
Auxilium implorare tuum, dum morte teneri
In media ſimulat, quaſq; hactenus omnibus illa

Cæla-

Digitized by Google

Cælarat peſtes Animi, concredere ſoli
Velle tibi mittit qui nuntiet; hoc ſimul audis
Cuncta repentè manu iacis, & reliqua omnia rumpis
Ocyus, in medioq; relinquis; tanta Cupido
Luctantem cum morte animam, furialis ab orci
Extricare plagis: Erat ęſtus, & orbis ab aura
Occidui tunc mulſa dies quæ partibus æquis
Hinc pendebat,& hinc; vt te formoſa nefandi
Fabra doli, celſæ, nulli cernenda, feneſtræ
Prætentis e cancellis quos ordine raro
Retis in abiegni ſpeciem coniunxit vtrinq;
Tranſuerſos,acubuſq; faber compegit ahenis,
Vt te iam expectans inde aſpicit illa propinquos
Agglomerare gradus, quantam vix pectore claudit,
Lætitia exundans, ſpeculi cita conſulit orbem
Luminibus tacitis, cuius cum tota probari
Iudicio ſenſit, geſtumq; ac verba parauit,
In ſpem elata ſuę nil poſſe reſiſtere formæ,
Ad ſcalas vltrò, venienti occurrit, eburnum
Iniectu tunicæ corpus velata recinctæ
Serica quæ centum textu tenuiſſima rugis,
Aura quibus velut ipſa & amans illudit, ad imos
Fluctuat errabunda pedes, manicaſq; patentes
Dat latè nudis è magna parte lacertis;
Traicit exiguas æquè teres aureus aures
Annulus, hos Adamas deducit & Vnio triplex;
Pectoris, vnde breui nondùm matura tumeſcunt
Molliter inter ſe diſtantia limite poma,
Nix intecta tepet, viſuſq; abſorbet edaces;
Baccataſq; comas,extremaq; brachia circum
Con-

Conſpicuæ variant gemmæ, religatur ab auro
In nodos aurum criſpati pexile crinis
Hoc pallente magis quod vinci à crine dolebat.
Talis erat Virgo, talem ſe læta PHILIPPO
Obtulit ignaro fraudis, iam cærea rendens
Brachia quo Iuuenis candentia vincula collo
Haud optata daret, linguamq; in verba mouebat
Qualia caucaſeas poſſent inflectere rupes:
Abſtinet is tactu, trepiduſq; repente reflexit
Suppoſito velut angue pedem, ſubit illa, manuq;
Marmorea, ſummum, quæ defluit extima, Veſtis
Apprehendit, nihil ipſe togam, capitiſq. ſacrati
Quadrifidæ Crucis in ſpeciem, leue tegmen ab hoſte
Ponè ſequente rapi, dum ſe auferat inde, laborat:
Illa manu propera ſcamnum perferre repulſas
Indocilis, quantum vires atque ira valebant
Conijcit in tergum fugientis, at irrita ventos
Vulnerat; hinc quod amans, inimicaq; duplice telo,
Splendentis formæ, ligniq; armata PHILIPPO
Ludibrium deſerta remanſerit, ardet, & irę
Vix capit accenſas arguſto corde procellas
In malè munificos quam mox effudit Amantes
Ille ſibi iraſcens, miſeræ quod cauſa puellę
Tentati fuerit ſceleris, confuſus, anhelans
Ædis in interiora ſua ſecedit, & aram
Ante DEI pœnas alieni criminis, vt ſe
Viſa à labe lauet, lacrimis & ſanguine ſoluit,
Inſcribit torto dum terga indigna flagello
Inde hominum denſa ſcelerum ſub nocte iacentum
Acrius incumbis curæ, quæq; altius hærent

Vulne-

Digitized by Google

Vulnera fixa animis ſanieq; annoſa putreſcunt
Vt tibi ab occultis monſtrent ſananda latebris
Suauè mones NERI medicamq; ad ſingula prudens
E re dextram adhibes, & toti ſufficis Vrbi:
Talis erat cùm centimanus tot ſcuta tot enſes
Stringeret in bellum Briareus, Dux vnus, & idem
Tota cohors. Tunc Virtutis morumq; tuorum
Optima pars mirata Virum, ſe ſponte regendos
Addixere tibi, nullis quos ſtringere votis
Inclyte Doctor amas, Votum ſua cuiq; Voluntas
Iam deuota DEO; ſic non ætate nec æquos
Nomine, doctrinaque pares, diſcrimine nullo
Per tua dicta, magis per quæ facis ipſe, fideli
Dirigis in ſublime via; Domus vnica vobis,
Conuiuis menſa vna, labor non omnibus vnus,
At varij finis tamen omnibus vna laboris;
Scilicet humanas vitijs defendere mentes,
Aut ægras ſanare, quibus mala quenque Cupido
Ingrauat, oblitove vagos redducere Cœlo
Ergo omnes diuerſa ſuo pro munere curant
Templum vnà celebrant, hic myſtica Panis ad aras
Liba DEO, vinumq; offert, hic poplite faſſis
De curuo labes animi quam ritè merentur
Dat veniam, hos, poſtquam deuexo ſole tepeſcit,
Prona dies metæ propior, vocat hora frequentis
In medio templi feſtis ſeu Vere diebus,
Vertice Ianiculi, ſacris de rebus ab alto
Promere verba loco, dictiſq; ſalubribus omnes
Exercere dies, nam docto ex agmine Patrum
Quattuor in cunctos vicino Veſpere ſoles

Digitized by Google

Biſgeminam in partes diſſectam quattuor horam
Voce ferunt, pars cuiq; datur, ſubnectitur vni
Alter, & huic alius ſuccedit, vt vtraq; quartum
Dicentem, quæ non tranſcenditur, hora relinquat;
Quam vagus anguſtum per iter, dum defluat omnis,
Metitur, mediaſq; diem diſtinguit in horas
Incluſus vitro puluis, qui vaſis in imi
Cernendus populo ventrem deſcendit inanem
Inſerto de vaſe ſuper, nam vaſcula iunctim
Stant duo, par illis facies, & duplicis inſtar
Turbinis, in medio connexa tenaciter hærent,
Puluis vt ex vno cùm fluxerit, inde per arctum
Callem eat, inque domum rurſus referatur eandem,
Dum binas quatuor decurſibus expleat horas.
His actis Patres in limine Noctis ad ædem
Vicinam templo multis comitantibus vna
Conueniunt, qua ſe ſecreta parte ſacellum
Subtrahit, hic precibus ſuperos concordibus orant
Vnde SODALITIO nomen, ne Pacis amicæ
Meſſibus, alma quies bellis decedat, at omni
Floreat Europa quæ flexo è poplite Patrem
Aphraq; Romanum veneretur, & Aſia tellus;
Vos quoq; fęlices Animæ poſt certa futuræ
Tempora cum maculas purgauerit ignis, habetis
Partem rite precum dum mollia verbere terga
Nodato, lacrimiſq; Patres ora humida ſulcant
Externos alij populos, incognita Priſcis
Regna, DEO quærant, & per ſpineta ſophorum
Et Vatum virides Oratorumq; per hortos
Deducant iuuenes multaq; incude recudant

Nuda

Nuda tegant alij villoſo corpora panno
Carnibus abſtineant ieiuniaq; aſpera durent,
Terq; quaterq; diem cantu noctemq; fatigent
In templis, vbi fatidici ſacra carmina Regis
Temporibus diſtincta ſuis per mutua dicunt,
Colloquijs parcant alij metuantq; videri,
Aſſiſtant morientum animis, ægriſq; miniſtrent;
Eſt vt Cœlicolum Regi laudata laborent
Munera per diuerſa alij; ſic Veſtis ad oras
Sponſæ CHRISTE tuæ ſpecioſa emblemata texunt;
Nam chlamides varijs induta coloribus aptas
Mille habet ornatus, mille æquè habet illa decentes

Tu ſelecta cohors ſancti præclara PHILIPPI
Progenies, vitijs abſiſtere vulgus, & Vrbem
Vnde petit mores reſponſaq; cœterus orbis
Exemplo dictiſq; mone, pacemq; per omnes
Sparge Domos, nec te popularis flatibus Auræ
Abreptam ſublime volubilis euehat Aulæ
Orbita, quæ rapido cùm feruerit incita curſu
Labem fracta dabit. Stat inoffenſura Fauoris
Scilicet, & nulli ſuccumbet Rhæda ruinæ,
Lora regat modò ſeſſor equis, nolenſq; feratur;
At ſi voce Feros ſtimulove inſtiget acuto,
Olli ferrato perſultent aera cornu
Abruptumq; trahant per iter loca in auia currum.

Si tamen interdum famæ laxabis habenas
Gloria ſit ſacros ærugine tergere Faſtos
Annoſæ nigris eductos Noctis ab vmbris
Aſſiduaq; manu ſanctos euoluere Patres
Sacrum ſacra decent: Hæc per præcepta PHILIPPVS

Digitized by Google

Laudis opumq; pudens, ſibi nullus,& omnibus omnis
Vos Pater inſtituit cunctis æterna diebus.
Cui dum pura doli, maliſq; haud diſcolor albis
Vita fuit, maius dictis quo pondus ineſſet
Exempliſq; viri, larga noua munera dextra
Contulit Omnipotens,nam pectore quicquid in alto
Cæca tegenſq; ſui falſa ſub imagine frontis
Mens hominnm cælat, tibi claro in lumine NERI
Noſcere poſſe dedit,quæq; aduentura latebant
Occulto Diuum in gremio contingere viſu
Et non ambiguis populo prædicere verbis;
Quin etiam attonitæ matres videre per auras
Pendentem vi ſtare ſua, totaq; vocati
Protinus æde Viri, dum prono poplite ſacras
Funderet ore preces quas enumerare retorto
Traiectis lino orbiculis de more ſolebat;
Tu cum è Matre leues Infans exiſſet in auras
Expiratam animam vix tacto in limine vitæ,
E ſuperis quos illa petiuerat inſcia culpę,
Voce palam ſola reuocas vacuoq; remittis
Corporis hoſpitio mutata ſede dolentem:
Te mandante mali repetunt ſua Dęmones antra
Inſeſſoſq; animos, vexataq; membra relinquunt
Sedibus obnixi quamuis inſiſtere captis.
Te tangente truces languentia corpora morbos
Protinus exuerunt quibus intercifa ſalutis
Spes erat, & Medicæ vis aſſurrexerat Artis,
Vidi ego, dum Enceladi de ſanguine nata Podagra,
Quæ Reges Diuum genitos, cùm tangere Diuos
Haud ſit, inexhauſtis cruciare doloribus ambit,
Octauum

Digitized by Google

Octauum nono CLEMENTEM ſole ſecaret,
Ad tactum poſuiſſe tuum, tremefacta refugit
Pontificis manus ægra tuam, tangiq; vetabat
Quin animi magno turbatus vulnere Princeps
Hem quid agis?dextrâ ah,dextrâ ah Pater, infit, at ipſe
Iam dextra dextram attigeras, tumefacta remiſit
Tacta manus, fibraſq; ardens, neruoſq; reliquit
Oſſaq; læſa dolor; An tanta potentia dextræ
Magne PHILIPPE tuæ eſt? vt quæ ſtellantis Olympi
Claues dextra tenet, quæ ſi Crucis, vnde pependit
Noſtra ſalus,ſemel in ſpeciem bona ſigna fideli
Aut mala dat Populo, donatq; adimitve ſalutem
Humano latè Generi, tamen illa ſalutem
A dextra ſit adepta tua; Te ſcilicet ille
Cuius in orbe vicem meritus virtute tenebat
Magnanimus Clemens, per monſtra ingentia rerum
Non affectatæ voluit permittere famæ;
Quam tu cum premeres, & ne tua cognita virtus
Ire per ora virum ſublata ſonantibus alis
Auderet plauſuq; frui, puerilibus illam
Interdum obrueres dictis, riſumq; leueſq;
Conarere iocos rebus miſcere ſeueris;
Hoc magis attentæ penitus pernotuit Vrbi
Nec ſatis id viſum eſt, vt te NERI optime carum
Iurè fuiſſe ſibi dum terrea membra regebas
Rex hominum,Diuumq; per hæc noua ſigna doceret,
Namq; etiam extremo cùm lenia lumina lhæto
Soluiſti moriens, & cum tegerere ſepulcro,
Nunc quoq; ter nonum ducti poſt funeris annum
Victores voti Populum te ritè vocantem

Efficit;

Efficit; hoc pictæ diuerſo nomine ſacrum
Ad tumulum muta teſtantur voce Tabellæ
Quas nec vterq; capit paries, lateq; ſacelli
Aurea frons, tibi quod gemmis atq; ære coruſcum
Iure tuus poſuit ciuis, nam fecerat olim
Si coniux longo ſperatum tempore partum
E ſexu meliore daret tabuliſq; notarat
Implendum, ni ſpes eluderet irrita, votum;
Cuius vt à nono, poſtquam ſe ſpontè ligarat,
Compos menſe fuit, tibi muneris ille Datori
Nobile promiſſum exoluit, puerumq; PHILIPPI
Nomine iure vocat, quem mox cum perfida febris
Vreret, & teneros anima ægra relinqueret artus,
Reſtituis vitæ, mortiſq; ex vngue reuellis
Nec tua in afflictis Pietas modò languet, at omnes
Audit amica preces, quin ſe ipſa precantibus offert
Hinc Vrbs tota tuo ſubmittens genua ſepulcro
Poſcit opem trepidis confidentiſſima rebus
Tu modò quem in tumulo, dextram maioris ad Aræ
Quę Magno ſtat GREGORIO cœliq; dicata
REGINÆ, ſupplex veneror, ne reſpue voces
SANCTE meas, quas te nō ſpernere velle putandū eſt
Si memor es veterum, dum vita manebat, Amorum,
Nam noſtram, quamuis haud accerſitus, in ædem
Gaudebas inferre gradum, lætamq; parentem
Quæ modò tecum aſtris ſpatiatur, & æthera calcat;
Affari, longiſq; diem componere dictis,
Dum ſacras Diuum hiſtorias, & multa pudicis
De Viduis quarum ipſa fuit pars rara, referres,
Meq; meo cum fratre, tuis, qui vocibus aurem
Suſpen-

Suſpenſam atq; animos illa mandante dabamus
Quanquam, & cana tui traheret reuerentia vultus,
Interdum amplecti natoſq; vocare ſolebas
Implebaſq; pium cari Genitoris amorem,
Pronior in fratrem, duris cui ſentibus aſprum
Laudis iter properis auido pertexere plantis
Plaudebas,ceu Vulgus equo qui publica curſus
Munera primus adit ſocijſq; ſequentibus anteit.
Is nunc vitales, ah quam perniciter, annos
Vix Decorum parca guttis aſperſus ab Aula
Expleuit, ſed non inglorius, inclyta floret
Fama Viri longa notorum laude laborum,
Signandis in ſupplicibus quos Iure libellis
Luſtra nouem aut ſancto referendis Principe coram
(Vnde vetus nomen numeroſus is accipit Ordo)
Nec non ſoluendis in litibus Arbiter hauſit,
Et Mutinam magnis miſſus de rebus ad Vrbem,
Inde Sacerdotum Princeps ac norma Bitunti,
Quanquam vt ſtella volans vix caræ apparuit Vrbi
Luſit & infauſtos nimium gaudentis amores
Haud expectatæ tenebris circumdata nubis
Non tamen,ac viſum, cecidit, ſed vt aurea Matris
Stella ſequens fuſcæ cœli per cœrula currum,
Aequore cùm immergi, vicino ſole, videtur
Tunc axem procul aduerſi tranſmiſit in orbis.
Vnde eadem ac diuerſa pari ſplendore refulget
Sic vili mutauit humo meus Athæra frater
Atq; ibi te radijs inſignem lucis, ab ipſo
Quę fluit ore DEI, pręſens miratur, & inter
Cœlicolas tibi diuinos gratatur honores

Quos

Quos Vaticana Regum ter magnus in Aede
Decreuit Pater Auguſti per vota Senatus
  Gaude Sancte Senex non quod hinc Gloria ſurgit
Spernere quam ſueras, ſed per noua Templa per Aras,
Quas tibi ponemus, ceù iacto è ſemine, creſcet
Relligio, tantiq; Ducis vexilla ſequutis
Qui tua progenies, Patribus reuerentia maior
  Vos, vos exultate Patres, veſtræq; parentem
Familiæ, ſuperum titulis & honoribus auctum
Principe ſacrorum ab ſummo quem fallere nulli eſt,
Fundatorem Ædis præceptorumq; Datorem
Quę colitis, celebrate ſimul, perq; omnia paſſim
Templa nouo facite, precibuſq; inſiſtite Diuo;
Poſcendi modò tempus erat, nanq; ille recenti
Supplicibus nihil abnuerit lætatus honore,
Præcipue vobis, nomen quì ſpontè dediſtis
Militiæ, cuius Dux ipſe, Magiſter, & Auctor
Auſpicijſq; ſuis contra multiplicis Vrbis
Crimina facunda feritis ſacra prælia lingua;
Hoc vnum veſtris pro me ſubiungite votis,
Grande quidē, ſed quo haud aliud minus eſſe potis ſit
Ad ſuperos (illis vt ament Mortalia pronum)
Optē ego me per vos (neque enim mihi fidere ſoli eſt)
Veſter amet ſpectetq; Parens ceu laudis amantem
Pictoremq; ſuæ, quanquam, ni ſola voluntas
Eſt ſatis in magnis, haud hanc, quam pulcra, figuram
Arte rudes potuere mei proferre colores,
E quibus vt nigris forſan magis eminet vmbris.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google